Lane Medical Library

DE

HAEMORRHOIDIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE X. M. AUGUSTI A. MDCCCLIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES KALAU DE HOFE

BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

F. MEYHOEFFER, MED. CAND.
B. FROEHLICH, MED. CAND.
A. LEBIUS, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

CARISSIMO SUO

F. AULIG

NEC NON

AMICO

CL. LIST

LITTERARUM HUMANIORUM FAUTORI

HANC

VERAE AMICITIAE TESSERAM

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Veniam dissertationis inauguralis conscribendae et defendendae a gratioso medicorum ordine adeptus, morbum, quem Haemorrhoides vocamus, adumbrandum elegi. Optime quidem intelligo, me rei medicae adhuc tironem de hoc morbo nihil novi apponere posse, confido tamen, quum a multis scriptoribus hic morbus aut leviter tantum explicatus aut omissus sit, opusculum meum non omnino vanum fore, si omnia, quae de hac re partim ex auctoribus et vetustis et recentioribus, partim e traditionibus magistrorum mihi innotuerunt, pro viribus conferam.

Perlustrans, L. B. hasce studiorum meorum primitias, me propria destitutum experientia tum veterum scripta attentione quadam esse scrutatum, tum recentiorum dicta haud socordem indagasse, non ignorabis.

Ceterum, si qua minus apte dicta inveneris, operi juvenili favens liberaliter excuses.

Haemorrhoidum nomine inde a priscis jam temporibus sanguinis ex iis venis, quae in ano sunt, profusio, et ab Aristotele fluxus ipse menstruus omneque sanguinis effluvium, ut haemorrhoides vesicae urinariae, uteri etc. salutatur.

Et nostris in systematibus haec denominatio primum non solum servata, verum potius amplificata est. Ita nomine haemorrhoidum non modo sanguinis sinceri et sordidi per ostia venarum, quae in ano et circa ani limbum dispositae sunt, profluvium, sed etiam harum venarum intumescentiae, denique omnia ea mala, quae fluxum aut tumores comitantur, praecedunt et sequuntur, designari solent.

Quod ad nos pertinet, nomine haemorrhoidum simplicium nihil aliud significari posse putamus, quam varices earum venarum, quae in ano aut circa ani limbum dispositae sunt.

Symptomatologia.

Rarius accidit, ut sanus et bene constitutus homo subito morbo afficiatur, plerumque alia symptomata, quae nomen moliminum haemorrhoidalium gerunt, per longius tempus antecedunt: Congestiones ad singulares partes, cephalaea, vertigines, palpitationes cordis, dolores in regione sacra, lumbali, gravitas totius corporis. Urina saepe saturata et hypostatica est. Appetitu ciborum deficiente nausea, ructus, vel etiam vomitiones animadvertuntur. Alvus plerumque tarda est. Tum aeger alieni quidquam in ano sentit, imprimis postquam desedit, parte ipsa autem investigata, tubercula animadvertimus livida, coerulea, rubicunda, speciem gemmarum asparagi praebentia aut fabarum. Quae, aut infra ani sphincterem sita aut supra, interdum hunc, dum in eo ipso versantur, vario modo expandunt. Ubi multi simul circa ani limbum apparent tumores, haud raro confluunt et totum anum farciminis aut annularis intumescentiae magnae instar obsident. Initio morbi aeger haud sentit dolores, nisi fortasse pruritus, pulsationes in ano et sensus ingratus quidam obveniant. Intumescentia autem revertente, nodi, denticuli, aut sacci valde dolent, omnem fere motum et

situm, equitationem, ambulationem prohibent; quid quod ne sellam quidem tenere, situm erectum aut supinum aeger ferre potest, verum potius in ventrem decumbens, aut in sella excavata, mollibus circumvallata pulvinaribus, quiescere debet. Dolores aegrotum impediunt, quominus alvum commode dejiciat anique sphincterem hunc in finem plane aperiat. Nodi ipsi et sphincter constrictus nullas nisi molles emittunt faeces, ita ut magis condensatae vehementissimis modo doloribus, et quasi complanatae et compressae edantur. Haud raro tumores sanguinis aliquantulum fundunt. Attamen non desunt exempla hominum plane integrorum et qui optima fruuntur valetudine, quorum vasa haemorrhoidalia per totam fere vitam tumida videntur. Aliter in plurimis casibus noduli haemorrhoidales intumescunt, cruorem exhalant vel rupti sanguinem emittunt. Porro experientia edocti scimus, tum nodos haemorrhoidales, tum fluxum saepius sine ullo incommodo ad senectutem usque protrahi.

Molimina aut periodos certas servant et per intervalla quaedam apparent, evanescunt et revertuntur, aut rebus noxiis, potu et cibo lautiore aliisque, arte, ut ita dicam, evocantur.

Complicationes.

Tumores antea laxi moliminibus revertentibus saepe turgescunt et expansi propendent, quo fit, ut haemorrhoides internae, imprimis postquam aeger desedit, per ani sphincterem protrudantur, ibi autem sphincteré constricto aut spasmo correpto, quum non amplius in cavum reverti possint, incarcerentur. Quo tristissimo statu dolores vehementissimi, alvus obstructa, inflammationes, suppurationes, gangraena partium prolapsarum inducuntur et convulsiones, aut, intima recti tunica nimis coarctata, omnia herniae incarceratae symptomata, imo adeo mors.

Tumores haemorrhoidales, modo incarcerati, modo introrsum revertentes, semper ad gradum quendam inflammati, dolent, sensusque excrucians ulceribus in saccorum superficie ortis, cutis irritatione, incendio tunicarum recti et vasorum, aphthis, fistulis, nimis exaltata totius corporis sensibilitate, furiosis tandem torminibus inter quamque alvi dejectionem perpetuoque tenesmo et conatu mingendi, ita crescit, ut vigilia, anorexia, macies et febricula, mortis ipsius prodromi, superveniant. Initio morbi saepius vehementissimi dolores sine ulla expansione varicosa, forsitan ex sola congestione, animadvertuntur.

Quapropter istae haemorrhoides furentes nuncupantur. Inflammationes saepius in suppurationem et gangraenam transeunt, quae haud raro omnes saccos destruit, sphincterem ipsum corrodit, carcinoma, indurationes, stricturas, fissuras totius recti, exulcerationes longani et integumentorum externorum usque ad regionem sacram provocat.

Durante intumescentia saccorum haemorrhoidalium haud raro accidere solet, ut unus alterve tumor sanguine turgens rumpatur, et tanta sanguinis profusio inde prodeat, quae hominem interficiat, aut saltem maxime debilitet.

Pressione nimia ad alvum ciendam intestinum rectum, imprimis haemorrhoidibus jamjam incarceratis, per anum procidit. Dolores tunc immanes oriuntur, tumor incensus recti, lividus, rubidus, farciminis instar totum anum obsidet, conaminibusque semper iteratis ad alvum laxandam et tenesmo assiduo malum increscit. Nisi hoc in casu repositione aut exstirpatione nodorum auxilium ferimus, convulsiones, inflammationes recti et partium vicinarum cum omnibus huc pertinentibus sequelis irruunt.

Diagnosis.

Aut visu, aut tactu, imprimis post alvi dejectionem, aut digito in anum immisso, nec minus sensu

aegroti ipsius, tumores cognoscuntur modo parvi, modo majores, nunc molles, digito prementi cedentes, nunc duriores, qui anum internum obsident, aut circa ani limbum dispositi subinde apparent, evanescunt et revertuntur. Qui in recto laxiores manent tumores, majus acquirunt volumen quam externi, nec tamen utraque species semper sanguinem continet, verum potius moliminibus praeteritis laxa apparet, neque incisa sanguinem fundit, neque dolet. Quo in casu ne externos, parvos, pupillares tumores cum syphiliticis confundamus, seu condylomatibus, cavendum est.

Quapropter diagnosis difficilis tantummodo signis universalibus et anatomica nititur investigatione.

Anatomia pathologica et Aetiologia.

Haemorrhoides sunt varices intestini recti, laesa vascularium tunicarum vitalitate orti, plethorae, et circulationi impeditae abdominali imputandi. Sanguis enim effectu causarum remotarum ad haecce vasa advectus et, inprimis ubi morbus a causa interna pendet, vitalitate sua ex parte destitutus venarum vigore depresso et imminuto stagnat, accumulatur et parietum inermium expansionem infert.

Ratione igitur perversa inter contractivam vasis et tum expandentem tum propulsivam sanguinis vim, praevalente expansione nodi haemorrhoidales exoriuntur, qui, morbo magis exculto, in fluentes transeunt haemorrhoides. Coeca enim haemorrhois plane idem morbus est ac fluens. Utraque gradu tantummodo differt, nam in illa malum quasi in itinere substitit, in hac excultum apparet.

Haemorrhoides aut supra aut infra ani sphincterem dispositae sunt: haemorrhoides internae et externae. Rarissime (Petit casum unum commemorat) facies interna intestini recti haemorrhoidibus obtecta cernitur.

Haemorrhoides supra sphincterem ani sub tunica intima intestini recti radices agunt, quae tumoribus velamentum praebet, cum vasis expansi pariete externa coalescit ejusque totam adipiscitur formam.

Modo simplices sunt tumores, qui, praecipue ubi majus acquisiverunt volumen, sacci audiunt haemorrhoidales, modo compositi, qui mora, tubera, uvae salutantur. Saepe inflammationibus iteratis vasis expansi cutis cum tunica recti intima non solum coalescit, verum etiam utraque ita condensatur, ut nodus impenetrabili quasi, crasso et duro velamento obtegatur. Quae omnia nimiam inflammationem et duritiem scirrhosam, imo scirrhum

ipsum gignere solent, qui non adeo raro in rectum intestinum irrepit, pessimasque ibi destructiones, excrescentias scirrhosas et carcinoma ipsum recti efficit. Haemorrhoides autem, quae infra sphincterem apparent, sub cuti resident, neque propter corii elasticitatem, nisi ruptae fuerint, adeo magnam proferunt expansionem, sed potius seorsim et singulares surgunt. Aut solae tunc varicositates coeruleae infra cutem, quae anum circumdat, conspiciuntur, aut, cuti expansa, tubera descendunt, propter formam denticuli, mariscae, verrucae, cristae, thymi, carunculae salutata. Saepius vas expansum rumpitur, cruore effuso vasis parietes cum vicinis coalescunt partibus tumoremque referunt magnum, qui haud raro ovi gallinacei aut pomi volumen aequat.

Jam e structura earum partium, quae haemorrhoidibus obnoxiae sunt, dispositio ad haemorrhoides patet. Venae haemorrhoidales in infima trunci parte sitae, perpendiculari itinere sursum adscendunt neque auxilio valvularum gaudent, partibus potius vicinis, quae pressionem in eas exserunt, impediuntur, quominus sanguinem ad portarum venam revehant. Anastomoses nullae adsunt, quarum ope, feriantibus aliis ramis, alii circulationem adjuvent. Eadem fere ratio, quod adscensum attinet, harum

venarum est, quam in crure sitarum, quamobrem et hae non minus varicibus sunt obnoxiae. Extra omnem dubitationis aleam positum est, quaedam corpora prae aliis ad haemorrhoides opportuna esse. Indoles autem haec specifica temperamento cholerico, melancholico plethoraeque locali innititur.

Neminem fugit hic morbus, quippe qui aetate infantili, juvenili, virili animadvertatur. Plerumque homines inter tricesimum et quinquagesimum annum in haemorrhoides incidunt. Femellae propter corporis ipsam constitutionem et vitae genus in universum saepius haemorrhoidibus submittuntur, quam mares.

Quod ad clima et temperiem, regiones australes alii, alii septentrionales haemorrhoidibus favere contendunt. Regiones austro-occidentales, ut mihi videtur, quae simul cum aestu et nimis relaxante humiditate cibos acres, calidos, vinaque dulcia ardentia offerunt, omnibus congestionibus opportunitatem praebent et stagnationibus favent, quod etiam Italia, Polonia, Hungaria probatur, haemorrhoidibus omnibusque inde nascentibus morbis abundantibus, nec minus eo, quod et nostris climatibus haemorrhoidarii calore aestivo et post vina ardentia cibosque lautos majorem sanguinis copiam emittunt, majoribusque tumoribus haemorrhoidalibus cruciantur.

Tandem permultae res externae ad haemorrhoides dispositionem gignere queunt, imprimis quae nimis relaxando et debilitando in vasa abdominalia agunt, congestionibus ergo et stagnationibus ibi favent. Quae omnes potentiae nocentes, ubi validius agunt, non solum haemorrhoidalem dispositionem proferunt, verum etiam causas occasionales suppeditant.

Omnium occasionalium causarum, quae haemorrhoidibus favent, natura et indoles ea est, quae sanguinis affluxui faveat, refluxum autem ex vasis repletis prohibeat. Vasa, jam antea relaxata, sanguine abundantia, non satis resistere possunt; dilatantur igitur et varicosa fiunt. Universales causae sunt: cibi irritantes et ardentes, qui tubum cibarium et rectum intestinum lacessunt, vinum et spiritus vini cet., quibus congestiones cientur. Ingestis adnumerandus etiam est remediorum acriorum, purgantium drasticorum, in quibus praecipue Aloe nominari debet, abusus. Porro memoranda sunt omnia ea, quae sanguinem ad abdomen alliciunt: libido, nimium Veneris exercitium, pediluvia calida, venaesectiones in pedibus institutae. Omnia deinde, quae liberam in abdomine circulationem impediunt et stagnationes proferunt, quare vita sedentaria, exercitationis corporis expers, imprimis curvato dorso et compresso abdomine, potentissimam haemorrhoidum causam

sistit. Litterati et ii opifices, quibus corporis una eademque cum his est conditio: sartores, sutores, multi alii plerumque haemorrhoidarii sunt. Nec minus ii, qui stando per totum diem negotia sua perficiunt.

Praeterea et aliae exstant mechanicae causae, imprimis obstructiones viscerum, venae portarum, indurationes, praecipue hepatis, alvus tarda, nimia faecum accumalatio, graviditas, aneurysmata interna, steatomata, alia.

Denique permultae corpus offendunt causae mere topicae, quae in recto intestino congestiones, stagnationes, indeque varices efficiunt. Huc pertinet dysenteria aut diarrhoea vehemens, paederastia, ascarides, suppositoria acria, hirudinum abusus. Omnia, quae pressionem in intestinum rectum exserunt, pessaria, tumores prostatae, calculi prostatae, prolapsus aut polypi uteri, vaginae, ani, stricturae ani, corpora deglutita incarcerata in recto, drupae, haemorrhoides excitant. Equitatio, imprimis sine ephippio, non minus haemorrhoides provocat, quare malum apud equitatum frequentissimum est.

Prognosis.

Permulti et antiquioris et nostrae aetatis medici vel in collaudandis, vel in vituperandis haemorrhoi-

dibus modum, ut opinor, excessere. Stahlius et sectatores ejus haemorrhoidum immensas cecinere laudes. Negari quidem non potest, permultos homines, haemorrhoidibus excultis, morbo gravi non amplius affici, et plethoram et congestionem saepius haemorrhoidibus solvi. E contrario isti casus rarissimi sunt, et saepe permulti morbi, ut supra exposui, imo mors ipsa, ex haemorrhoidibus proficiscuntur, et quidem saepius ea tantum de causa, quod medici fluxum aureum opinantur. Lites igitur de salubritate aut vi perniciosa haemorrhoidum optime componemus, eas certe morbum appellantes, qui admodum faustis sub conditionibus multa incommoda hominibus praebet.

Therapia.

Curatio vel est prophylactica vel therapeutica. Primum cavendum est, ne nimia sanguinis copia ad vasa haemorrhoidalia affluat ibique stagnet, deinde curandum, ut refluxus ad vasa majora adjuvetur. Quod ad primam attinet indicationem, omnes antea enumeratae causae remotae diligentissime vitandae sunt. Cibi irritantes igitur, ardentes, qui tubi intestinalis cient plethoram sanguinisque copiam augent, nec minus potulenta calida, adstringentia

aut relaxantia omittenda. Diaeta lauta in genere rejicienda, vinum, remedia pellentia, drastica acria, hirudines ad partes inferiores non adhibenda esse, quis est, qui unquam dubitet. Imprimis cavendum, ne in alvum morigeram aeger incidat, quocirca cursus, vectura et ea valent exercitia, quae stando et ambulando peraguntur. Cibi hunc in finem sumantur modici, maxima ex parte vegetabiles. Jentaculum e lacte, aqua frigida, pomis maturis, acidulo-dulciusculis, uvis, prunisve paretur. Aeger porro id tempus, quo desidere assuevit, nunquam praeterire patiatur, ne haec salutaris consuetudo tollatur. Obstructione jam exorta, aut alvo tarda, potus largus acidulus, laxantia blanda, kali tartaricum, tartarus depuratus cum sulphure, oleum olivarum aut ricini, suppositoria mitia, enemata oleosa, non acria, aut ex butyro insulso parata, in usum vocentur. Omnes demum locales causae tollantur. Sellae durae et frigidae, ex ligno querno paratae aeger insideat, omne, cum totius corporis tum praecipue ani perfrigerium vitet, frustraneo nisu ad alvum ciendam abstineat. Alia, quae pressionem in abdomen exserunt, quoad removeri possunt, removeantur, prolapsus reponantur, obstructiones viscerum resolvantur. Raro quidem, sed interdum, si haemorrhoides ita nominatae coecae et occlusae

sunt, fluxus exoptabilis et salutaris videtur. Remedia autem sic dicta pellentia ea sunt, quae imperita manu adhibita maxima inferre possunt damna. Insessus calidi, pediluvia, venaesectiones, hirudines et cucurbitulae ad inferiora, enemata calida, salina, aqua Tepliciensis aut Halocranensis, fomenta et cataplasmata calida ano superimposita, equitatio sine ephippio, ad fluxum eliciendum commendantur.

Haemorrhoides saepius sine ullo damno per totam vitam feruntur, neque praeter curam prophylactico-diaeteticam quidquam requirunt. Simulac autem, quod moliminibus supervenientibus saepissime fit, tument et dolent, omni cura providendum, ne inflammatione corripiantur. Aeger equitationem nimiamque ambulationem vitet, sedeat potius in sella cava, mollibus circumvallata stragulis et saepius per diem supinus cubet. Anus ipse et noduli ibi versantes saepius, imprimis ante et post alvi dejectionem, spongia madefacta et tepida repurgari et unguento quodam adstringente, saturnino, linariae, zinci, illiniri debent, aut unguento Autenriethii ad decubitum, quod et lubrificante et adstringente vi pollet.

Cum propter incitationem sphincter semper fere ex parte constringatur, cereoli in anum immissi prosunt adstringentes, ibique diutius retenti. Con-

strictionem saltem impediunt et haemorrhoidum incrementa reprimunt. Pulvis lycopodii nodis inspersus a quovis fere haemorrhoidario laudatur. Hisce probe adhibitis, cavendum est, ne nimis relaxemus vel adstringamus, quare omnibus caute tantum est utendum.

Haud raro tumores isti magnum adipiscuntur volumen, valde dolent et tument, imprimis post equitationem et ambulationem. Praeter supra commemorata remedia lenientia hirudines primum tenent locum, quamvis nonnulli iis non favent, contendentes, sanguinem hirudinibus extrahi non posse. Istud autem, ut ita dicam, acutum tumorum incrementum coagulum non continet, verum potius merum sanguinem, qui per haec animalcula, ut experientia edoctus scio, facile amovetur. Id vero certum, in diuturno tumore, cujus parietes crassi, condensati et degenerati sunt, hirudinem rejiciendam esse, cum nil valeat, sed potius inflammationem excitet et maligna ulcera inducat.

Haemorrhoides incarceratae proprium nostrum requirunt auxilium. Ut in herniae incarceratione, ita hic duae nobis afrident viae, taxis scilicet et repositio operatione peracta.

Alvo laxata, derivantibus et antiphlogisticis adhibitis et sanguinis missionibus institutis, lubrifican-

tia et adstringentia nodis et saccis incarceratis imponantur, oleum olivarum, ol. ovorum, butyrum insulsum, albumen, unguenta quaedam, decocta cort. quercus cum alumine et gummi arabico. Spasticis, quod saepe accidit, supervenientibus signis, antispasmodica juvant, exceptis balneis calidis, quae sanguinis ad nodos haemorrhoidales turgorem adaugent. Aeger aut pedibus manibusque simul inniti, aut supinum situm tenere debet eum, quo anus in altiore ponatur loco. Taxis tunc peragenda est digitis, in oleum aut albumen tepidum inmersis, et quae partes postremo prolapsae sunt, primo, quae primo, postremo reponantur. Incarceratione interna exorta, digito indice in anum immisso et antrorsum protruso constrictionem tollas: Ubi omnia haec, iterum et iterum tentata, irrita fuerunt, sphincter ani expandi aut cultro dilatari debet. Expansio optime fit, nec nimia incitatione neque inflammatione oborta, et si haemorrhoidum non circularis animadvertitur incarceratio. Speculi ani rami tunc in sphincteris hiatum immittantur, nec tamen, si unquam fieri potest, expansio ad anteriorem aut posteriorem partem, verum potius ad latera peragatur, propter os coccygis, prostatam et urethrae bulbum, quippe quae pressione nimis concitentur et in inflammationem incidant.

Expanso sphinctere, nodi commode reponuntur. Nisi autem, expansione bis terve adhibita, repositio peragitur, ab omni conatu abstinendum et potius incidendum est. Incisio enim facili fit negotio, neque ullum profert incommodum. Aegroti in latus decumbentis ano digitus oleo aut albumine illitus inseritur, aut, ubi omnia haec propter ani vehementem constrictionem fieri nequeunt, cultro sphincter ani inciditur in uno aut utroque latere, et quidem audacter, quia parvae incisiones plus nocent, quam prosunt. Neque sanguinis profluvium, neque sphincteris dissectio metuenda. Cruoris enim fluxum facile coercemus et sphincteris laesio nullum plane damnum infert.

Incisione peracta, sacci facili negotio reponuntur. Vulnus autem, postquam sanguinis per aliquod tempus fluxus perstitit, linteis unguento simplice illitis fasciisque aptis obtegitur, quo facto post duodecim aut quatuordecim dies cicatrix inducitur. Sin sphincteris incisionem exercere nolumus propter maximam nodorum inflammationem, nimiam saccorum expansionem, nimium coagulum ibi collectum, et situm talem, qui ad latera incisionem non permittat, saccorum superest incisio et coaguli ibi collecti evacuatio. Quae incisio facile fit et ab omnibus autoribus laudatur. Nodi et sacci inermi digito, aut

forcipe protrahuntur et ope cultri biacuti aut scalpelli late inciduntur, quo facto sanguis subito prorumpit coagulumque effunditur. Sanguinis cursus per aliquod tempus aqua tepida sustentatur, tunc vulnus abluitur et repositio instituitur. Nimiam cruoris profusionem compressione aut stypticis coercemus, vulnus ipsum vero linteis obtegitur et curatur. Si forsitan saccorum densiores et crassae superstites tunicae postea callescunt et recrudescunt, excidendae sunt forfice aut fomentis frigidis et adstringentibus ad reditum per anum adigendae. Ceterum horum saccorum, qui crassioribus obtecti sunt tunicis, incisio non multum valet, quare exstirpatio est praeferenda, de qua infra uberius dicam.

Haemorrhoides furentes tanta ac tam flebilia symptomata moliuntur, ut, quamvis non multum fieri possit praeter exstirpationem, tamen, ne in mala transeant pessima, inde ab antiquissimis temporibus permulta ad mitigandum saltem morbum in lucem edita sint consilia. Injectiones calidae, e decoctis quercus, chinae, e solutionibus aluminosis, martialibus paratae, unguenta permulta et oleosa, unguentum ex alumine usto cum adipe suillo, unguentum e cerussa, lithargyro, cera et opio, oleum olivarum cum tinctura opii, oleum hyoscyami coctum,

cataplasmata sopientia, fumigationes narcoticae, folia viridia quercus, hyoscyami, solani nigri sunt adhibita. Semper autem, omnibus his remediis sine fructu adhibitis, praeter exstirpationem nullum restat auxilium.

Nimis profusae haemorrhoides propter lethale periculum imminens omnia, quae unquam exstant, remedia ad sanguinis profluvium sistendum exposcunt. Praeprimis causae hujus immodici profluvii sunt removendae, plethora, spasmus, obstructio, sacci incarceratio. Tum derivantia adhibenda, lotiones calidae et frictiones partium superiorum, venaesectiones in brachiis, cucurbitulae et hirudines ad partes superiores.

Adstringentia, acida, refrigerantia ad inferiora et ad anum ipsum, insessus frigidissimi, fomentationes gelidae ad anum, femora, genitalia et regionem sacram, injectiones e decoctis cort. quercus, gallarum, rad. tormentillae, solutiones aluminis, argenti nitrici, ferri sulphurici, acidum Halleri. Denique externa remedia, compressio per digitos, linamenta in anum infarcta, intestinum agninum per anum inmissum et aqua gelida inpletum, protractio vasis rupti et ligatura, in usum sunt vocanda. Nisi autem haec illico opem ferunt, exstirpatio sacci optimum praestat remedium.

Induratae et scirrhosae haemorrhoides nullam admittunt curam. Minores, nisi molestias afferunt, tolerandae, majores cultro exstirpandae sunt. Quod demum ad furunculum haemorrhoidalem pertinet, ea instituenda est cura, quam furunculus in genere exposcit.

Restat, ut nonnulla de variis methodis haemorrhoides amovendi dicam.

Haemorrhoides removendi tres imprimis patent viae, ustio seu cauterisatio, ligatura, sectio.

Antequam ad rem ipsam me accingerem, indicationes praecipuas ad curationem therapeuticam enumerandas censui.

Omnes istae methodi semper magni momenti aegroto sunt, neque sine periculo peraguntur. Omnes igitur haemorrhoides, si molestias et incommoda mediocria tantum aegroto inferunt, tolerandae sunt, nec minus intactae relinquendae, si ad valetudinem conservandam aperte necessariae videntur. In omnibus casibus autem, ubi haemorrhoides tantum volumen adipiscuntur, ut omnem ambulationem impediant et maximum dolorem cieant, supra commemoratis remediis sine fructu adhibitis, ad operationem procedere debemus. Porro omnes haemorrhoides scirrhosae, induratae, profusae, furentes, si magnas molestias parant, ani prolapsum provocant, removendae sunt.

Ustio seu causterisatio in plurimis casibus nil valet. Idem fere adnotandum est de ligatura, cui etiam nonnulli autores favent, et quam, ne nimia sanguinis oriatur profusio, exercent. Propter tunicae enim recti internae constrictionem, incitationem totius tubi cibarii, inflammationem, vomitum, omniaque supra commemorata herniae incarceratae irruentia symptomata, ab hac methodo plane abstinendum. Quo major ceterum numerus nodulorum ligatura constrictus fuit, eo citius et vehementius periculum irruit. Satis lucenter igitur patet, in curandis haemorrhoidibus ab hac etiam agendi methodo abstinendum, vel potius semper cultro utendum esse.

Dissentiunt autem cultrum adhibentes, utrum exstirpatio exercenda, an abscisio sive praecisio facienda sit. Omnes fere totalem abscisionem laudant, dum Petit ejusmodi commendat exstirpationem, quae sacci externam reservet tunicam, ex intima recti cuticula aut externa pelli constitutam, et modo varicem remanentibus velamentis excidat. Quamvis interdum, praeprimis ubi saccus nimio sanguine turget, haec methodus haud rejicienda videtur, tamen experientia nos docuit, maximos saccos, sanguine plenos, praecissos esse, nec tamen, qui arceri non posset, cruoris fluxum irruisse. Deinde majores sacci semper fere cuti crassa, degenerata,

cum aliis velamentis coalita obducti inveniuntur, quae exstirpationem ipsam, nisi plane impediat, difficillimam reddit, cujus reliquiae nec facile in cicatricem abeunt, nec solidescunt et conglutinantur, sed potius ulcera et fistulas proferunt. Quare et hancce methodum repudiandam et abscisionem optimam esse patet.

VITA.

Ego Adalbertus Joannes Fabianus Kalau de Hofe, confessioni evangelicae addictus, die XXXI M. Januar. A. huj. saec. XXIX patre optimo Ludovico, matre dilectissima Guilelma, e gente Sperling, quos defunctos lugeo, Kattenaviae natus sum. Primis litterarum elementis praeceptore privato eruditus, gymnasium Gumbinnense, quod sub auspiciis Directoris Prang florebat, petii ibique per sex annorum spatium a praeceptoribus doctissimis, humanissimis Petrenz, Hamann, Sperling, Arnold, Gerlach, Kossak ad litteras institutus sum, quorum omnium memoria usque ad cineres a me pie coletur.

Testimonio maturitatis instructus auctumno anni MDCCCXLIX ad academiam Albertinam Regimontanam me contuli. In civium numerum a Prof. Ill. Meyer, prorectore magnifico, receptus in album ordinis medicorum a Prof. Ill. Seerig, tunc decano spectabili, inscriptus sum.

Per sex semestria his interfui scholis:

Docuerunt me dialecticen et historiam philosophiae Ill. Rosenkranz; botanicen Ill. Meyer; physicen experimentalem et organorum sensualium physicen Ill. Moser; zoologiam, historiam evolutionis animalium vertebratorum Ill. Rathke; chemiam experimentalem, phytochemiam atque zoochemiam Ill. Dulk; osteologiam, syndesmologiam, myologiam, neurologiam artemque cadavera rite secandi Ill. Burdach; splanchnologiam, angiologiam Ill. Rathke; physiologiam Ill. Helmholtz; materiam medicam artemque formulas medicas rite concinnandi Ill. Cruse; pathologiam et therapiam specialem Ill. Moeller; chirurgiam et ophthalmiatricen Ill. Burow; usum stethoscopii Ill. Hay.

Praeterea scholas clinicas medicas sub auspiciis Ill. Hirsch, chirurgicas duce Ill. Seerig frequentavi.

Academia Albertina Regimontana a. MDCCCLII relicta, ad almam litterarum universitatem Berolinensem profectus, Rectore Ill. Stahl, Decano Ill. Ehrenberg in civium academicorum numerum receptus, scholas adii has: Docuerunt me anatomiam pathologicam Exp. Meckel ab Hemsbach; artem obstetriciam Exp. Schoeller; artem fascias imponendi Exp. Wagner; medicinam forensem Ill. Casper; operationes in cadaveribus administrandas Ill. Boehm; operationes obstetricias in machina Exp. Schoeller, qui etiam institutionibus clinicis obstetriciis me admisit. Praeterea scholas clinicas medicas Ill. Romberg et Ill. Schoenlein, chirurgicas Ill. Langenbeck, aegrotorum curam suscipiens, frequentavi.

Omnibus his viris de me optime meritis ago summas gratias, eorumque memoriam pio semper animo servabo.

Jam vero tentamine philosophico Regimonti, nec non medico atque examine rigoroso Berolini absolutis, spero fore, ut, dissertatione publice defensa, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES.

1. In ileo atresia ani inducto una salus in chirurgia est posita, in incarceratione autem interna auxilium chirurgia non praebet.
2. Opinio ista, qua hominum cohors a duobus parentibus nata habetur, plane refellenda est.
3. Hymen non est certum virginitatis signum.